In precedenti capitulo audivimus de septemplici gratiarum actione
Quas domino nostro ihesu christo debemus de sua passione
Consequenter audiamus septem salutationes et orationes mellifluas
Que dicende sunt beate virgini propter septem suas tristicias
Sicut enim domino est gratum suam passionem et penas recordari
Ita et gratum est beate virgini suas passiones meditari
Frater quidam in ordine predicatorum erat
Qui dominum ihesum christum et matrem eius maxime diligebat
Huius meditationes crebro versabantur circa christi penas
Et circa dulcissime matris eius tristicias et dolores
Et motibus suis dominum afflagitabat assidue
Ut sibi de penalitatibus suis aliquid daret sentire
Tandem dominus suis petitionibus acquievit
Et aliquantulam peculam sibi fecit
Visum sibi quidem est quod manus et pedes eius extenderent
Et cum maximo dolore clavis ferreis infigerent
Postea suppliciter ex intimo corde rogavit beatam virginem
Ut sibi de suis variis tristiciis pateficeret aliqualem
Visumque est ei quod gladius acutissimum adveniret
Et cor eius cum maximo dolore pertransiret
Frater ille per huius meditationem et gratiarum actionem
Meruit divinam revelationem et eternam consolationem
Quapropter legamus libenter domino prefatas gratiarum actiones
Et sue gloriosissime matri marie sequentes salutationes
Ut in hac vita ab omni mereamur liberari tristicia
Et in futura vita perfrui eterna leticia Amen

Prima tristicia beate marie virginis Require capitulo xxvi

Ave maria mater christi pia celestis imperatrix
Tu es virgo dira tristium in hac via clemens consolatrix
Offero tibi piissima domina prefatas tuas tristicias
Quas in hac vita passa es multas et varias
Ut michi misero subvenire digneris in quacumque tribulatione

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0250
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg